

A. 62, 8.

x 2002 897

No

Xa
4304

ORATIO

De Amplitudine, Dignitate ac Eminentia

PII PRINCIPIS, ET

MAGISTRATUS, CHRISTO, OR- THODOXÆQUE RELIGIONI addicto.

Habita in Templo,

Cum VOTO pio, pro incolumitate Reverendissimi, Il-
lustrissimi, & Celsissimi Principis ac Domini,

DN. AUGUSTI,

Postulati Administratoris Primat. & Archi-Episcopatus
Magdeburgens. Ducis Saxon. &c. Gubernationem
harum terrarum feliciter adeuntis.

*In Conventu Pastorum & Diaconorum ad Ephoriam
WEISSENSEHENSEM spectantium.*

Accessit Electorum Reformatorum ad marginem
brevis Chronologia,

ab

HEINRICO Krausen/ S. S. Theol. Licentiatō,
Pastore & Superintendente.

Die XXI. Octobr. Anno M. DC. LVII.

ERFFURTI,

Typis Friderici Melchioris Dedekindi.





REVERENDISSIMO. ILLUSTRISSIMO. CEL-
SISSIMO. PRINCIPI. AC DOMINO.

DN. AUGUSTO.

POSTULATO. ADMINISTRATO-
RI. ARCHIEPISCOPATUS. MAGDE-
BURGENSIS. DUCI. SAXONIAE. JULIAE. CLIVIAE.
MONTIUM. LANDGRAVIO. THURINGIAE. MAR-
CHIONI. MISNIAE. UTRIVS. LUSATIAE. COMITI.
DE. MARCA. ET. RAVENSBURG. DO-
MINO. IN. RAVENSTEIN.
EXEMPLO. PRINCIPUM. NATO.

DOMINO. SUO. CLEMENTISSIMO.



D. D. D.

HUMILIMO. STUDIO.

HEINRICUS. CRUSIUS.
THEOL. LICENT.





ORATIO
DE
MAGISTRATU OR-
THODOXO.

Anus nunc præterlapsus, Viri
Reverendi, Humanissimi, Doctissimi,
quo, proch dolor, Serenissimus Elector Sa-
xonix, JOHANNES GEORGIUS MA-
GNUS, Sacri Romani Imperii Archi-Mar-
schallus, & Septemvir, augustissimæ recordationis Prin-
ceps, diem suum obiit, & ad sempiternum istud ELECTO-
RUM Concilium, cui præsidet ipse DEI FILIUS, abiit, hujus
morte universa non tantum Regio, sed totum Romanum
Imperium contristatum. Haud immeritò, amissimus enim
fidum Ecclesiæ nitritium, Romani Imperii Columnam, Pa-
triæ Patrem, qui sibi orbem universum, ac mortale genus
obstrinxit; (non orbem voco, neq; homines, ubi nulla Re-
ligionis cura;) In uno illo Electore conspirasse videntur
omnia ea, quæ quidem data hominibus sunt, ad laudem,
gloriamq; Illius Serenitatis merita, talia & tanta sunt, ut à
nemine, nisi Marone quodam describi, & (quod Alexander
optat) à Lysippo quodam fingi, & Apelle pingi mereantur.
Erat Princeps sagacitate animi, & in Consiliis expeditâ cele-
ritate admirabilis, Religionis veræ vindex indefessus, Jūsti-
tiæ studiosissimus. Beatissimus Elector pro Imperio & Im-
peratore, pro Lege & Grege, pro Justitia & Germaniæ pace
restituenda, non solum magnis sumptibus suis, sed etiam
A 2 propria

JOHANNES
GEORGIUS E-
lect. Saxon. na-
scitur Dresde
1585. d. 5. Martii.
Electorum ad-
it 1611. piè in
Christo obdor-
mivit d. 8. Octo-
bris 1656. h. 5. post
merid. postquam
vixisset 71. ann.
mens. 7. dies 2.
& regnasset 45.
ann. mens. 3.

EL-

O-
E-
Æ.

S.



propriae vitae, quã nihil carius est, periculo, fortiter, victo-
rioseq; pugnavit. Sed transiit, transiit, inclutus ille Saxo-
niæ Heros, Germaniæ Achilles, seculi nostri Alexander Ma-
gnus, quo nemo Ducum veterum majora gesit, ach ante an-
num Patriæ & Ecclesiæ ereptus; transiit de labore ad refri-
gerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brabi-
um, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrina-
tione ad quietem, de mundi hujus exilio, ad veram Patriam.
Sit igitur memoria nostri beatissimi Electoris in benedicti-
one, ossa ipsius Serenitatis, loco ubi sunt, perpetuò fronde-
scant; memoria ejus in æternum permaneat!

Hæredes nobis, Præpotentis DEI bonitate, ac gratia
quatuor reliquit; JOHANNEM GEORGIUM, hujus no-
minis secundum; AUGUSTUM; CHRISTIANUM; MAU-
RITIUM. Hi sunt pii, imò piissimi hujus Patris, Filii. JO-
HANNEM GEORGIUM, ut dignitate Septemvirali, atq;
ætate superiorem, debito modo honorant, coluntq; reliqui.
In hac consensione animorum pulcherrimã, visa sibi est pa-
tria, jam emeruisse è luctu, & squallore omni, visa sibi est
gratulari hanc felicitatem, quod Principes haberet tales
qui & conjuncti animis, & voluntate essent, & præclarè, sa-
pienterq; Rempubl. moderarentur.

Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare
fratres in unum.

Sic uti Patrem habuerunt sinceræ Religionis amanti-
ssimum, ita piissimi & Christianissimi Filii, qui jam loco Pa-
tris ipsiq; vestigiis constanter inhærent. Quãobrem pro Con-
venienti Orationis argumento eligere volui materiam, de
Amplitudine, Dignitate, ac Eminentia pii & sancti Principis
ac Magistratus, CHRISTO, ORTHODOXÆQ; RELIGIONI
addicto. Quæ cogitatio, cum antea sæpius animum meum
subiret, maximè tamen circa hoc tempus, quod Reveren-
dissimus

disfimus, & Illustrissimus Princeps & Dominus, DN. AUGU-
STUS, Postulatus Administrator Primat. & Archi-Episcopatus
Magdeburgensis, Dux Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium,
Landgrafius Thuringiae, Marchio Misniae, Utriusque Lusatiae,
Comes de Marca & Ravensberg, Dominus in Ravenstein,
Dominus noster clementissimus, gubernationem harum
terrarum adiit, & in Patris, beatissimae memoriae locum suc-
cedit; Debitae ergo gratitudinis, ut quaecumque extaret mo-
numentum, cum aliud non esset, cum pio, pro AUGUSTO
feliciter nunc regnanti, Voto, quaedam hoc in loco dicere
constitui. Quare cum ea de re breviter dissero, ut me be-
nigne audiatis, etiam atque etiam rogo.

Primum, praecipuum, ac summum, in Republica, Reli-
gionem esse, Auditores Reverendi & Praestantissimi, nemo
tam impius, aut vecors, qui negare sustineat, noverunt sin-
guli, loquuntur historiae, testantur Respublicae, fatentur sa-
pientes universi. Nam quid boni ibi esse possit, ubi Reli-
gio non est, summum ipsum mortalium bonum? Quid re-
cte ac providenter ibi suscipi, & administrari queat, ubi aut
DEUS spernitur, aut male colitur, sine cuius tamen ope atque
auxilio, homines nihil dexterè atque feliciter auspiciantur?
Consultantur memoriae Veteres, catur per nostra tempora,
deprehendemus equeidem, nunquam, aut neglectam fuisse
Religionem, aut prolapsam, quin secum traxerit Rempubli-
cam ipsam.

Profanatis sacris

Peritura Troja perdidit primum Deos. inquit Poë-
ta. & alius;

Dij multa neglecti dedere
Hesperiae mala luctuosa.

Virgilius qui Latinos apud Poetas principem obtinet lo-
cum, quum in Mezentium Thyrrenorum Regem imma-
nem,

nem, invehitur zelo totus, accensus in hanc detestationem
erumpit:

Dij facta tyranni

Effera capiti ipsius generiq; reservent.

Inquit namq; , præstabilius nihil, pretiosius nihil, quam in-
signi pietate & Religionis zelo Regem & Principem , am-
plissimosq; rerum moderatores , qui fasces commisos di-
gnissimè gerunt ; qui paterna suorum subditorum cura
tanguntur, existere. Nam quemadmodum tyrannus iste
crudelis, atq; intollerabilis, regnum, sceptrumq; suum pes-
fundedit, subditos subjugatos ruina delevit, seipsum, suosq;
ad extrema redegit: Ita è diverso omnis in pio atq; sancto
Principe ac Magistratu, Christo, Orthodoxæq; Religioni ad-
dicto, vicem indulgentissimi patris sustinente, posita est sa-
lus, posita incolumitas. Omnia siquidem illius stante Im-
perio, sævis malorum procellis conqviescentibus, peropor-
tunè cadunt, feliciterq; eveniunt. Suum sacrata justitia:
cuiq; tribuens, ac conferens, non tam gubernatores apud i-
psos, quam gubernantibus dicto audientes veneratione di-
gnatur, nec non, ceu virtutum fons omnium ac scaturigo
colitur. Quid verò de fortunis, opibusq; subjectorum di-
camus? Quid omnium cœptorum ventos secundissimos
prædicemus? Secundæ profectò provincialium , subdito-
rumq; fortunæ, defensione ac tutelâ gaudent perpetua, sar-
tæ tectæq; latitant; nec ulla unquam difficultate laborant;
immotæ substant; mille incommoda, vel fatorum etiam i-
psorum perpesæ, loco non moventur. Annòn primo
quoq; momento hostes apprimè feros, rabie infensos, atq;
sanguinolentos , animo pacifico & tranquillo hujusmodi
Principes, quos Psalmus Deos nuncupat, obruunt, obrutos
ignominiosè prosterunt , prostratos & penè oppresos,
crudeli cæde perimunt, crudeliori, imò crudelissima morte
mactant,

maclant, trucidantq;. Atq; hinc ritè peragitur sanctæ Re-
ligionis opus. Quæ cum ita sese habeant, manifestum est,
quam necessaria res sit Religionis studium, quamq; omnes
summa ope niti deceat, illa facta tecta q; ut maneat, cum in
ea universi regni salus, atq; stabilitas posita sit, & collocata;
sin secus, mala omnia rebus humanis quotidiè ingrave-
scunt, quia DEUS, mundi hujus effector & gubernator dere-
lictus est, quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ Re-
ligiones.

Quapropter beatas terq; quaterq; regiones illas, qui-
bus divinitus contigit Princeps & Dominus, cui salus popu-
li suprema lex, & rursus, lex DEI suprema salus est. Quod
si Davidem, Josuam, Josophatum, & alios laude veræ pieta-
tatis, & zeli in Religione erga DEUM sacro in codice celebra-
tos Principes consideremus; Electorumq; ac Ducum Saxo-
niæ zelum, constantiam, labores, vigilantiam in custodien-
do verbi cœlestis deposito, cum Iphis conferamus, non cer-
tè minorem apud omnes rectè & candidè judicantes, lau-
dem obtinebunt. Illi Veteris fœderis Reges superstitionem,
Idolomaniam & falsos DEI cultus delerunt; Hi no-
stri, errores Pontificios, & ἑτεροθρησκείας humanas, ex
Provincijs suis quam longissimè profligarunt. Illi fermento
sanè doctrinæ adperso expurgato, puram putam doctrinam
θεόπνευστον propagarunt; Hi omnes rancidas hæretico-
rum verbo divino adnexas glosas eradicarunt. Illi incre-
dibilis pietatis laude, & lumine clarissimo, subditis suis, to-
tiq; Ecclesiæ præluxerunt; Hi non minus veræ ac sinceræ
in DEUM Religionis, devotæ pietatis, & singularis constan-
tiæ exempla præbuerunt universis: Quippè qui in tuenda
retinendaq; verbi divini sinceritate præ se tulerunt con-
stantiam admirabilem, & sibi pro Aris & Focis quidvis per-
ferendum, moriendumq; judicarunt. Nimis longum hic
foret

foret narrando persequi, qui illi Heroes magnanimi, & incomparabiles, & quos in medijs quasi periculorum gravissimorum fluctibus & tempestatibus, exantlaverint labores, quibus cum difficultatibus conflicti fuerint, quæ discrimina vitæ subierint, dum hoc enixè egerunt, ut ne quâ innovatione, à Veteri illa Religionis Christianæ à B. Luthero, incredibilem cum animorum & voluntatum in fundamento doctrinæ sacræ consensu, traditæ atq; illustratæ sinceritate, & integritate recederetur.

MARTINUS
LUTHERUS natus
in Islebia anno
1483. d. 10. No-
vemb. Visitavit
Schol. Magde-
burg. 1497. Per-
rexit ad Acade-
miam Erfurd.
1503. Fit Magist.
1505. Vitam eli-
git Monast. Ord.
Aug. 1507. Venit
Wittemberg. 1508.
Proficiscitur Rō.
1510. Scripsit con-
tra Pap. 1517. Ci-
tatus à Carol. V.
Wormatiā. 21.
Mundo valedi-
xit 1546. d. 18.
Februar. etat. 63.
mens. 11. d. 10.

Quamprimum enim ex immensa DEI bonitate ite-
rùm venit plenitudo temporis, quo clementissimus DEUS
B. Lutherum, Eliam tertium, Prophetam ultimum, Auri-
gam & currum Israel: Germaniæ solem, & Samson: Hero-
em Ecclesiæ magnanimum, & AntiChristicidam invictissi-
mum, in hunc mundum misit, cujus ministerio populum
suum è tenebris illis ægyptiacis in clarissimam lucem, & so-
lis aspectum jucundissimum educere cæpisset, prima omni-
um hæc serenissima Domus, præ reliquis totius Europæ Re-
gnis, Rebuspublicis, & Principatibus omnibus, sincero DEI
omnipotentis verbo hospitium & receptaculum præbuit
tutissimum, nec quidquam indignius Illustrissimâ Domo
Saxonicâ Duces arbitrati sunt, quam si pulsas densissimis Pa-
pistarum tenebris, lucem purioris doctrinæ in Ecclesijs ac
locis ditionum suarum accensam, omni conatu, & viribus
non amplecterentur, atq; defenderent. In dubium itaq;
& controversiam non venit, quin divinos vergat in hono-
res, si Electorum & Ducum Saxonæ, qui DEO in Ecclesia su-
am fideliter navarunt operam, fama, & nomen à mortalita-
te vindicetur, neq; unâ cum corporibus sepeliatur. Tem-
pus illud acceptum, quo Saxonæ inclytæ, & Domui huic
Serenissimæ salus contigit, incidit ferè in annum M. D.
XVII. qui annus fatalis quodammodo multis fuit visus, eò
quod

quod numerum literæ numerales versiculi illi Prophetici
(tibi Cherubim & Seraphim Incesabili Voce procla-
mant) exactè repræsentant. Incidit hoc ipsum salutis tem-
pus in Regimen & tempora FRIDERICI III. Saxonæ Se-
ptemviri, cognomine Sapientis & Pacifici. Hujus Electo-
ris ministerio, postremà hac mundi senescentis ætate, do-
ctrinam Ecclesiæ, corruptelis, & erroribus Pontificiis obli-
teratam, & penè oppressam, DEUS repurgavit, & restituit
huic primò in cor dedit, ut odio haberet meretricem ma-
gnam, & detracta Papatui antiquitatis larvâ, cominus Evan-
gelii lucem videret. Huic Electori tota Germania ob Ev-
angelii restitutionem plus debet, quam persolvere potest
unquam, post DEUM, primum ac præcipuum sese Patro-
num, ipsi & tenellæ adhuc Ecclesiæ Orthodoxæ præstitit,
merito primum locum hic inter Reformatos Electores te-
net, ipsius solius beneficio, puras ab Idololatricis hominum
cultibus, manus, ad hunc usq; diem levare nobis liceat. To-
tum hoc, FRIDERICE, quantumq; est, quod certè maxi-
mum est, totum inquam est Tuum. Secundo loco pono
JOHANNEM, mortuus FRIDERICUS, non relictis liberis
(in cœlibatu enim vixerat) Regionis & Religionis suæ hæ-
redem, & successorem habuit Fratrem germanum: Con-
stans cognomine dictus est, quòd fuerit veritatis Evangeli-
cæ Confessor, assertor, defensorq; constantissimus, nulla
cujuscunq; periculi magnitudine deterritus. Velut Ante-
signanus quidam omnium primus, Comitata illa Augustana
anni M. D. XXX. adiit; cum pars adversa sibi certò persva-
sisset, tantum animi nunquam Ipsi futurum, ut Religionis
innovatæ causâ, discrimen adiret, & Lutheri, qui criminis
læsæ Majestatis, & Cæsareæ & Pontificiæ reus perageretur,
patrocinium susciperet. Sed nihil horum moratus, He-
roico planè spiritu fretus, & divino præsidio, & causæ boni-
tate,

FRIDERICUS
III. Elector Sa-
xon. nascitur
Torgæ ann. 1462.
d. 17. Jan. Fun-
davit Academi-
am Wittebergen-
sem ann. 1502.
Moritur Schwei-
nitz. ann. 1525. d.
5. Maji. cum im-
perasset annos
39. & vixisset
ann. 62.

JOHANNES
Elect. Saxon. na-
scitur in Urbe
Misnensi 1469. d.
29. Junii. Con-
fess. Lutheran.
Carolo Quinto
Augustæ exhibu-
it 1530. d. 25. Ju-
nii. Feliciter re-
gnat an. 7. Diem
obit Schweinitz
ann. 1532. d. 13.
August. cum vi-
xisset 63. ann.

HEINRICUS
Dux Saxon. Fri-
derici. II. Elect.
nepos natus ann.
1473. d. 16. Martii.
Vitam mortalem
cum sempiterna
mutavit 1541. d.
18. Augusti.

Henrici Saxo-
niae Ducis egre-
gia Responsio.

tate, Comitibus adiit, fidei suae rationem liberè, animoq; im-
perterrito exposuit, suaeq; Confessionis exemplum, latinâ,
Gallicâ, & Germanicâ lingvâ scriptum, Caesari exhibuit,
cum religiosâ attestatione, se non latum quidem unguem
ab ea discessurum, quicquid eveniat. Hic Elector ipsius
etiam Imperatoris Caroli V. iudicio, in asserenda, defen-
dendaq; Orthodoxa Evangelii doctrina *Præcipuus*, hoc est,
præ reliquis constans, & immotus fuit. Accedo ad HEN-
RICUM, quem nemo Oratione satis celebrare potest. Ille
enim Saxoniae Dux, incredibilem pro asserenda repurgata
doctrinae Evangelicae sinceritate industriam, aeternâ memo-
riâ dignam præstitit. Accidit, ut Anno M. D. XXXIX. per
Legatos ipsi significaretur, Testamento Fratris Georgii,
Ducis Saxoniae, animam tum agentis, Ipsum hæredem, no-
minatum, institutumq; esse totius Misniae, reliquarumq;
Provinciarum, ac ingentis thesauri, hac tamen lege, & con-
ditione, ut nuncium remitteret Lutheranismi, & ad Ponti-
ficiorum castra rediret. Quid optimus Princeps HEINRI-
CUS? parvâ interpositâ morâ! Non tanti se facere, respon-
dit, ullum in his terris Principatum, ut Evangelicae doctri-
nae abnegatione, eum sibi unquam redimendum esse cen-
seat, seq; jam eum sustinere tentationis paroxysmum, quem
Dominus Jesus, Redemptor & Salvator suus olim superave-
rit, cum Diabolus regna mundi hujus, eorumq; gloriam u-
niversam ipsi promitteret; dicens: Hæc omnia tibi dabo,
si prostratus adoraveris me: An verò tanti apud me putatis
ullas opes, ut à semel agnitâ, purâq; Religione discedere ve-
lim? multum certè vos expectatio fallit. Adeo Dux HEIN-
RICUS Evangelicae Religioni addictissimus erat, ut quam-
vis tenuioris fortunæ esset, tamen nullatenus suis necessta-
tibus, contra fidem & conscientiam subvenire voluit. Ve-
rùm hujus suae constantiae mox fructum ferebat uberrim-
um,

mum, antequam n. legati, accepto tali responso, domum re-
 diissent, jam è vita disceserat GEORGIUS, relicto sic testa-
 mento illo imperfecto. Statim ergò HEINRICUS Dux, il-
 lius hæreditatem, legitimo successione jure ad se devolu-
 tam apprehendit, atq; Dresdam, & ad reliqua profectus op-
 pida, suam in fidem populum adegit. Adde hoc, quod per
 DEI gratiam DUX SAXONIÆ GEORGIUS in agone ad no-
 titiam unici sui Mediatoris & Salvatoris pervenerit, de suis
 & aliorum hominum peccatorum meritis desperaverit, &
 ad solum Christum, veritatis & salutis viam rectà perrexe-
 rit. Cum enim in agone mortis constitutus esset, & Mo-
 nachi certatim ipsum exhortarentur, alius ut Mariam, alius
 ut Angelos, alius ut diversos sanctos Auxiliatores, & in pri-
 mis tutelarem suum Divum Jacobum invocaret, tandem
 nobilis quidam, Duci huic familiaris, accessit, eumq; ita
 compellavit: Celsitudo Vestra in Politicis negotiis semper
 usa fuit hoc proverbio: Rectà sine ambagibus progredi, &
 in certamine via maximè compendiaris: Quare igitur in
 hac via periculosissima, & hoc ultimo agone, Celsitudo Ve-
 stra, tam varias ambages sectatur, & non potius invocatione
 suâ, rectà per Christum, ad DEUM ipsum, qui certò juvare,
 & vult & potest, accedit? Atq; in hac Filii DEI invocatione,
 Dux Celsissimus vitam clausit.

Sequitur in ordine Quartus JOHANNES FRIDERI-
 CUS, Electorum Magnanimus, Princeps Christianissimus,
 Fortissimus, Constantissimus; Princeps memoriæ, pietatis
 & constantiæ laudatissimus, qui à Confessione ea, quam Au-
 gustæ, & Pater & Patruus obtulerant, nullis minis deterre-
 ri, nullis periculis dimoveri potuit, quin eam potius sangvi-
 ne etiam suo obsignare, non dubitaverit, undè præter Con-
 stantis, etiam Magnanimi & Invisi cognomen ejusdem in-
 omnem posteritatem mansit. Hic Elector ex alvo mater-

B 2

nâ secum

JOHANNES
 FRIDERICUS
 Elect. Saxon. na-
 tus Torgæ ann.
 1503. d. 30. Junii
 Captus non pro-
 cul à Mülbergâ
 ann. 1547. d. 24.
 April. Capitalis
 sententia à Ca-
 sare in ipsum la-

1547. d. 7. Ma-
ji. Dimittitur
custodiâ 1552. d.
19. Maji. hor. 4.
post merid. Mun-
do valedixit Vi-
narie 1554. d. 3.
Martii. Post-
quam vixisset
ann. 50.

MAURITIUS
Electoꝝ Saxon.
nascitur Freiber-
ge ann. 1521. d. 21.
Martii. Regnare
cepit 1541. Fit E-
lect. 1547. d. 4.
Junii. Pacem Re-
ligionis obtinuit
1552. Tormenta-

na secum attulit omen, nascenti scilicet visa fuit in dorso
cruce aureo colore fulgens; quod, ubi conspexit à matronis
aulicis accersitus sacerdos, vir pius, & admodum senex; Hic
puer, inquit, crucem gestabit, toti orbi conspicuam, cujus
indiciu tam manifestum in ipsius ortu se exerit. Rem
miram, & divini ominis plenam! Quis non intelligit, cru-
cem hanc futuræ crucis, & gravissimarum calamitatum,
quas ob Heroicam in Evangelii confessione constantiam,
per totam vitam expertus, indubitatum fuisse præfagium?
Attamen nihil quicquam omnis illa fortunæ injuria, & pe-
riculi magnitudo, vel tantillum, Heroem hunc terrere, &
movere potuit, omnia illa DEI arbitrio permittens, pro LE-
GE ET GREGE Domini pugnandum sibi putabat, & si vel
anima ponenda foret. Hinc, quamvis sciret Cæsarem cum
exercitu advenire, nec procul à Mülberga esse, prius tamen,
cum is dies Dominicus esset, quo in Ecclesia de Pastore bo-
no ponente pro Ovibus animam suam, tractari solet, sacris
interesse voluit. Et quamvis capitalis sententia à Cæsare
in ipsum jam erat lata, & ipsi in Castris prælecta fuit, tamen
nullam dabat significationem animi consternati, sed animi
infracti robur, non sine omnium stupore, plus quam Heroi-
cè demonstrabat. Ideoq; nec illum vel nutantem facere
potuit capitalis illa sententia, non quinquennialis illa sat du-
rissima custodia.

Divinitus excitari Viros magnos, qui Heroes sunt, ne-
mini est dubium, excitari autem tum præcipuè, cum impe-
ria & regna fatiscunt, atq; ruinam meditantur, ut laboranti
Ecclesiæ & Reipublicæ, suâ virtute, qua instinctu quodam
divino, & peculiari spiritu armantur, opem ferant. Quare
nec dubitandum est, eo tempore excitatum divinitus Ele-
ctorem MAURITIUM, quo universa Germania, veluti in-
cendio immani, longius in dies singulos serpente, flagrabat,
& hostes

& hostes potentissimi, nulloq; nec animi invicti, & ad omnes rerum humanarum casus, infracti, robore, nec felicitate, & rei bellicæ peritia inferiores, patriæ nostræ imminerunt, extremam ei allaturi exitium, nisi, DEO animos & successum largiente, hic Heros suum hostibus corpus, pro ARIS & FOCIS pugnando, objecisset. Hic enim est is, qui post obitum Patris HEINRICI, mirabili celeritate imperium illud Tridentinum distulit, qui durum servitutis jugum, quod genti Germanorum, & Romanensium Consiliis & insidiis jam imminerebat, fortiter excussit: Hic est is, qui sacram illam Religionis pacem, quæ ante hac nullis obtineri precibus poterat, suâ potissimum auctoritate obtinuit, effecitq; ut constiterit hactenus pax in Imperio, & tranquillitas publica: Pro quo beneficio, si nos sanctissimo Electori immortales debere gratias dixerimus, officio nostro atq; ipsâ æquitate nihil planè indignum profitebimur, quàm enim latè hoc beneficium pateat, nemo prudens non intelligit, sic enim factum est, ut fructus hujus Pacis, de quâ loquimur, non ad nos tantum veniat optatus, sed ad externos quoq; provenerit: imò ad universum orbem Christianum emanarint. Hoc totum, & omne quantumcunq; est, totum inquam MAURITIO, post DEUM, debetur unicè, de quo ante duos annos Status Augustanæ Confessionis, fermè Omnes, Jubilæum celebrarunt, nec in illo Heroem hunc dignis Laudibus evehere potuerunt. Hic est is, qui in certissimum sui erga Religionem, bonasq; literas effectus indicium tres illas Scholas illustres, harum certè provinciarum *κειμήλια* preciosissima MISNENSEM, PORTENSEM, ET GRYMMENSEM, magno Ecclesiæ commo- do aperuit, & fundavit, easq; amplissimis Collegiorum, in quibus antea Monachi, & id genus alii vixerant, proventibus dotavit. Qua in re quàm piè MAURITIUS de vera

*riâ glande lethali-
liter patitur 1553
d. 9. Junii. Paulo post piè in
Christo obdormi-
vit d. 11. Julii.
Cum vixisset
ann. 32. mens. 3.
d. 21.*

DEI Ecclesia, cui sic bona Ecclesiastica, ceu spolia Ægyptiaca à Pontificiis recepta, dicavit rursus, fuerit meritis, testatur experientia. Hic est is, qui non suæ tantum Ecclesiæ, tantam habuit curam, sed insuper aliorum etiam fidei suæ consortium, sortem cordi sibi esse voluit: Hinc cum Anno M. D. LI. Ministri verbi divini Augustâ pulsati essent, his quidem conditionibus, ut intra diem tertium ante Solis occasum ex urbe decedant, nec posthac intra fines Imperii, & quam latè spectat Cæsaris jurisdictio concionem ullam habeant, ne quem ex propinquis aut amicis conveniant, neque sui discessus causam ullam dicant, ne cui post in urbe scribant, aut quid cum ipsis actum sit, exponant, idque sublatis digitis iusjurandum pollicerentur. Mox anno sequenti MAURITIUS, Augustâ captâ, ministros Ecclesiæ loco restituit, & Concionibus denuò præfecit, summâ cum populi voluptate, atque lætitiâ. Tandem Alberto Brandeburgico armis & incendiis in Patriam sævienti propè arcem Peinam, ad vicum Siffridhusum congressus, in cursu victoriæ globo ferreo feritur, tertio die post obiit.

AUGUSTUS
*Elect. Saxon. natus Freibergæ
 1526. d. 31. Julii.
 Effecit quod Imperator, & Status Imperii Romani Pacem Religionis confirmarent, & subscribant 1555. Formulam Concordiæ publicat 1580
 Moritur Dresdæ 1586. d. 11. Febr. h. 6. vesp. Cum*

MAURITIUS sine liberis defunctus, reliquit Electoratus successorem AUGUSTUM, fratrem germanum, excelsi ingenii, & summæ sapientiæ Principem, ad omnem posteritatem commendandum, erat enim BONUS, PIUS, FORTIS, MAGNANIMUS, ex cujus pectore, tanquam ex fonte quodam consilia optima profluebant, testis est FORMULA CONCORDIÆ, cujus primus post DEUM dux & author AUGUSTUS fuit, quod hodie nobis & toti Orbi notum & compertum est, quousque in hoc negotio processerit, quantum consecutus sit, quid præstiterit, id nimirum, cujus causa innumeræ gaudent Ecclesiæ, lætantur in cœlis ipsi Angeli, fremunt autem, & indignantur, mundus & Diabolus, pro hoc in Ecclesiam & Religionem summo beneficio, tantas i

tas imo pectore habemus gratias AUGUSTO, religiosæ concordia Duci atq; Authori, agemusq; dum vixerimus, quantashomini inter mortales nemini. Hic AUGUSTUS Elector, uti optimos quosq; Principes òni sapiētia, justitia & fortitudinis laude, omni modo æqvavit, ita maximè nulli, vera Religione & pietate secundus fuit, quæ omnia evidentiora fierent, si de Conventibus, Synodis & Colloquiis Naumburgi, Dresdæ, Lipsiæ, Torgæ, Quedlinburgi, Lichtenburgi, Hertzbergæ, & alibi Religionis causa ab Ipso institutis, hic quædam delibare tempus permetteret. De AUGUSTI in Ecclesiam munificentiâ, in Academiis & Scholis liberalitate, in egentes defunctorum ministrorum viduas clementia, in pauperes deniq; omnes beneficentiâ malim silere, quam pauca dicere, singula enim tanta sunt, ut dies me destitutura sit, si unum saltem istorum percensendo velim persequi. Unum adhuc memorabile, & heroicum planè AUGUSTI factum, quod præteriri non debet, commemorabo: Venerant ad Conventum, quem AUGUSTUS Naumburgi indixerat, Pontificis Romani Legati, & præter cætera de Pontificis erga Electorem AVGVSTVM affectione singulari, multa publicè in confeslu contestati, literas Pontificias Electori (quas Brevia vocant) exhibent, atq; offerunt; Cum in litterarum inscriptione se à Papa Filium dilectum nominari cerneret, literas istas aperire noluit, nedum legere, sed minimè resignatas in hospitium legatorum deferentium remisit, erat enim rectius edoctus, quanto scilicet astu & fastu, patriam hanc potestatem, Pontifices sibi usurparent. O altam generosamq; & verè augustam mentem, quæ se tam salutariibus consiliis, tamq; paternâ Ecclesiæ curâ occupari patitur.

Tempus me monet, ut relicto AVGVSTO, Principe Augustissimo, ad Filium Ejus CHRISTIANVM me convertam. Hic Elector rebus præclarè gestis erga orthodoxam Religio-

vixisset ann. 59.
 Et regnasset
 ann. 33.

CHRISTIANVS
 I. Elector. Saxon.
 nascitur Dresdæ
 1560. d. 29. Octob.

*Est Electoris Augusti Patris Vicarius anno 1581. Regnavit annos 5. mens. 10. Prematurâ morte extinguitur 1591. d. 25. Septembr. b. 7. mat. anno ætatis 31. Relictis post se III. Filiis Principibus Im-
puberibus. Tutelam paulò ante obitum ab Ipso Electore delatam suscipit FRI-
DERICUS WIL-
HELMUS Dux
Saxon. Agnatus.*

*CHRISTIANUS
II. Elector. Sa-
xon. natus Dres-
de ann. 1583. d.
23. Sept. A quo-
piam sicario tor-
mentariâ glande
petitur, sed irri-
to conatu 1603.
Feudum Julia-*

Religionem famam nominis sui, æternitati consecravit. Quamvis multi tunc temporis fuere, qui à semita veritatis Lutherana deviarunt, & Calvinismum in Religionem introducere conati sunt, Elector CHRISTIANVS tamen nihil operæ, nihil studio, nihil ardori omni reliquit, quam ut Lutherana sinceritas, sarta tectaq; assereretur, & cum vitæ finem instare cerneret, Filios Principes, unâ cum Informatore vocari ad se iustos, Illos cohortatus est, ut veræ pietati, & virtutis studio se traderent; Huic verò magnâ sæveritate injunxit, ut sincerâ Religione, haud aliundè, quam ex limpidissimis sacræ Scripturæ fontibus, ac Catecheticis Lutheri libellis deprompta, Principum animos imbueret, ut extremo die ad sanctissimum JESV CHRISTI tribunal, rationem administrati muneris reddere intrepidè posset. Adeoq; non immerito à Dn. Doct. Huttero in Parentatione, Princeps hic & Elector, magnanimus Heros, cujus animus excelsus, & ad maxima quæq; natus sit; ab aliis CHRISTIANVS verè Christianus, imò Christianissimus; magnus & sanctissimus, rursusq; Dux magnanimus, Germaniæ decus, & delitiæ ætatis nostræ, Princeps industriâ, fide, ingenii promptitudine, formâ imprimis, pietate præstantissimus verè appellatus, & quod omnis commendationis caput est, apud ipsum tantus ardor Evangelii doctrinam propagandi repertus fuit, ut vix verbis declarari queat.

Sed quorsum dilabor: Ad CHRISTIANVM II. legitimum Electoratus Successorem accessum faciam. Eripitur his terris mortè prorsus inexpectatâ & immaturâ CHRISTIANVS I. Saxonix Dux, & Septemvir, cum vix Optimus Filius, & Successor ætatis annum VIII. complevisset, & tum vel maximè præsidio & tutela paterna indigeret, quam postea, at totius simul Electoratus Saxonici administrationem, non tam agnationis jure, quam suâ Ipsius apertâ declaratione &

ne & voluntate ultimâ, committit Illustrissimo & nunquam
satis laudato Principi FRIDERICO WILHELMO, Saxoniae
Duci. Huic summam rerum committit, idq; præcipuè ab il-
lo flagitat, ut ingenuè, liberaliterq; Filii impuberes edu-
centur, omniq; cultu veræ pietatis, & virtutis Heroicæ à te-
neris imbuantur, ac ne ullam aliam, quam nativam, incor-
ruptam, minimeq; variatam illam Augustanam Confessio-
nem in suis ditionibus, quas relicturus liberis sit, tueantur.
Suscepta itaq; administratione, Tutor Illustrissimus in eam
præcipuè curam incubuit, ut Religionem in his ditionibus
synceram propagaret, inprimis verò operam daret, ne in
Pupillorum Illustrium institutione, atq; educatione lauda-
bili, in qua harum Regionum salus, atq; incolumitas sita es-
set, quicquam negligeretur, conservavit in hisce Regioni-
bus DEI verbum purè, & syncerè, & cum ab Administratione
decennali discederet, cunctis partibus suis integrum, invio-
latumq; Electori Hæredi CHRISTIANO II. Saxoniae Duci,
cum annum ætatis XIX. feliciter complevisset, de manu
quasi in manum divino auspicio tradidit. Cum jam susce-
pta esset à Principe CHRISTIANO II. Electoratus guber-
natio, mox Torgæ Comitæ Provincialia celebrat, in quibus
suam, de fidei confessione syncera atq; Orthodoxa in his Re-
gionibus cõservanda, sententiam ante omnia aperit, seduloq;
& enixè operam dedit, ut purissima lux verbi cœlestis, nullâ
errorum offusâ caligine, per omnes suas ditiones clarissimè
splendesceret. Auditote ipsum Electorem piè & Christia-
nè loquentem: *Ab eo ipso tempore, (inquit) quo divina gratia
ad Electoratus culmen atq; fastigium sumus evecti, nihil prius aut
antiquius habuimus, quam ut Religionis puritas, nostris in pro-
vinciis facta tecta assereretur, & propagaretur. Quo nomine
singulos initio, ac universos nostræ jurisdictioni subjectos, & qui-
dem in publicis muneribus tam civilibus, quam sacris constitutos,
religioso sacramento obstrinximus, quod Confessioni Augustanæ,*

C

non

*ensis Ducatus,
& Ditionum ad-
herentium ab
Imperat. RU-
DOLPHO II. ac-
cipit, cum titulo
usitato, & insi-
gnibus 1610. Piè
in Christo obdor-
mivit 1611. d. 23.
Junii. hor. 10. post
merid. postquam
vixisset annos
27. mens. 9. d. 23.
Et regnasset ann.
9. m. 9. d. 23.*

non variata, sed prima; quòd ejusdem repetitioni in libro Concordia, adversus quorumvis hostium insultus ac sophismata evidenter satis asserata, declarata, corroborata ex asse essent addicti; quòd deniq; divina adjuti gratia, ad finem usq; constantes fidei & Religionis asseratores esse, ac perdurare vellent. Hoc est, non prius Elector salutari voluit, quàm Consiliariis, & Ministris omnibus, tum Ecclesiasticis, tum Politicis, sacro sancto Juramenti foedere ad Lutheranam puritatem, Religionemq; libro Concordiæ comprehensam, candidè ac sincerè asserendam adstrictis, audivisset omnes clamantes: Juravimus in nomine Domini DEI nostri, quod à Calviniano, omniq; hæretico fermento purgati alieniq; , pro asserendâ gloriâ & Majestate JESU CHRISTI, constanter & syncerè pugnaturi simus. Præterea (inquit Serenissimus Elector porro) ut venerandum Religionis Palladium, tantò evidentius omnibus innotesceret, neq; quavisquam ejus cognoscendi copiam sibi negatam esse, jure conqveri posset, curavimus Librum Concordiæ Christianæ, in forma (uti loquuntur) minore ad exemplum prototypi, ita imprimi, ut pretio etiam vilissimo sibi quisq; eum comparare possit, &c. Hisce suum in veram Religionem affectum contestatus, ac proindè, ob pietatis & veræ Religionis amorem, studium, conservationem ac propagationem Optimus Maximus Pater Patriæ, amor ac delitiæ generis Christiani appellatus fuit.

JOHANNIS
GEORGII, cognomine MA-
GNI, Elect. Sax.
encomia & me-
rita, nemo laudi-
bus unquam æ-
quare potest.

Jam ad TE, Serenissime ac Potentissime Elector JOHANNES GEORGI, à TE Oratio mea initium habuit. Brevior est sermo, & hebetior lingua, quam ut tanti Herois indomiti tam præclara merita annunciare possim, scripsit de Beatisf. Elect. ante 46. annos D. Hutterus, quod tunc temporis Ejus plurima & præclarissima in Ecclesiam & Religionem ferè merita, quæ unius horulæ, quid dico horulæ, imò plurimorum dierum curriculo percensere saltem numerando, non dico Oratione illustrare valeat. Si hæc jam diceret,

ceret, non dubitandum, cum splendor tanti nominis, cum
merita ubiq; occurrant, quin facundiam dicenti aspirarent.
Etenim quam sapienter, constanter, magnanimiter, ac piè,
periclitanti veræ Ecclesiæ, & Evangelicæ Religioni, per to-
tos hosce tribulationis annos, & dies patrocinator fuerit, to-
ta Germania, imò totus Orbis Christianus, satis, superq; lo-
quatur, in quo, quam ut quidquam se vivo de Christianæ
Religionis integritate minueretur, satius esse duxit, quidvis
sustinere & amittere. Et quid opus est verbis? cum nemi-
nem à desse arbitrer, qui non ignoret Beatissimum nostrum
Electorem, quamdiu regnavit, in perpetuis bellorum flucti-
bus, pro Aris & Focis transegisse. Quæ causa, quæso, quod
summos ac infinitos labores pertulerit? nonne Christus &
Orthodoxa Religio. Quæ causa, quod tot insomnes duxe-
rit noctes? nonne Christus & orthodoxa Religio? Quæ cau-
sa, quod gravissimis difficultatibus conflictatus sit? nonne
Christus, & Orthodoxa Religio? Quæ causa quod inaudita
pericula subierit! nonne Christus & Religio? Quæ causa,
quod tria Festa Jubilæa indixerit? Nonne Christus & Reli-
gio? O igitur ineffabile Pietatis documentum! ô incom-
parabile veri Christiani exemplar! ô inaudita laborum pro
Ecclesia susceptorum imago! Tantologus videbor, si quod
res est, dixero, hoc est, si omnia illa, quantacunq; inde à re-
liquis Prædecessoribus Electoribus Piissimis, & Religiosissi-
mis hætenus à me dicta, soli Huic Principi, ac Electori JO-
HANNI GEORGIO propria ac genuina dixero, propterea
plura afferre, quid attinet? id saltem annectere placet, quid
olim Dn. D. Hoë ad Cuthsemium scripsit: *Itanè ergò pro a-
rundine habetis Principem hunc gloriosissimum, vel tantam levi-
tatem suspicamini, ut veritatem agnitam Evangelicam abnegatu-
rum illum credatis, speretis. Absit verò & longissimè absit hæc à
Constantissimo Electore nostro impietas. Major Ipsi & carior fu-
it, est, & erit DEUS, pretiosiorq; salus, & pura conscientia. Zelo*

*Religionis purioris Evangelicæ Nulli Principum Germaniæ, nullè
laudatissimorum Majorum suorum, vel ad unguem cedit, si vel
maximè totum mundum acquirere possit, quin potius in ea, ad vi-
te usq; extremum balitum perseverare, & sanguinem ipsum, si
DEO ita visum esset, imperterrito animo profunderè cupit. Lau-
damus Serenissimum nostrum Electorem, probamusq; quod Cæsa-
rem tanquam summum in Imperio Romano Magistratum honorat,
colitq;: Sed laudamus & hoc, quod in puncto Religionis, & zeli
sui, ne tantillum quidem, vel in Cæsaris, vel aliorum gratiam re-
mittit; quin potius, DEO suo cultum sincerum, & placentem præ-
stare, eumq; pro viribus maximè asserere, & promovere perrexit;
utrumq; enim Salvator præcipit.*

*EST FIDUS CÆSARIS ACHATEIS, FORTIS GER-
MANIÆ HERCULES, GLORIOSUS IMPERII ROMANI
PRINCEPS. Extant ea de re Dn. Doct. Welleri, Hülseman-
ni, Calovii, aliorumq; publica plurimaq; scripta, parentati-
nes, Concionesq; funebres, ad quas brevitatis studio Vos
remissum volo.*

**JOHANNES
GEORGIUS II.**
*Elect. Sax. nasci-
tur in Urbe Dres-
dâ ann. 1613. d. 31.
Maji. Patre Jo-
hanne Georgio,
Electore Magna-
nimo. Matre ge-
nerosissimâ
Magdalena Si-
bylla, Alberti
Friderici, Ducis
& Electoris
Marchionis
Brandenburg. &
Boruss. Filia.*

*Indicium, imò pignus potius certissimum, paterni in
DEO favoris est, quod ad septuagesimum, & quod excurrit
usq; annum (hoc paucis, maximè Principibus, attingere da-
tum est) Beatissimo Electori vita prorogata, & ita clemen-
ter nobis prospectum voluit, ut Serenissimum & Potentissi-
mum Principem ac Dominum, Dominum JOHANNEM
GEORGIUM hujus nominis II. Ducem Saxonix, Julix, Cli-
vix, Montium, S. Rom. Imperii Archimarschallum & Ele-
ctorem, ejusq; Imperii pro tempore Vicarium &c. Princi-
pem ad summa quævis natum, educatum, & assefactum,
nobis reliquerit, SUCCESSOREM BONVM, qui omnia
sua consilia, ad augendam Ecclesiæ purioris tranquillitatem,
dirigit. Habemus in nostro Electore, nunc feliciter regnan-
te, Religionis Orthodoxæ Patrem & Patronum, habemus
Principem sinceræ Religionis amantissimum, vivit, vivit, &*

ut

ut vivat diutissimè, faxit is, qui Ipsissima vita est, vivit in-
quam denuò JOHANNES GEORGIUS Elector, Pii, imò
Piissimi Patris Filius, Heros fortissimus, qui potentiâ, vir-
tute, consilio, animi magnitudine armatus. Suae Sereni-
tati ex animo gratulamur, precantesq; sumus omnes, vitam
Ipsi prolixam, imperium securum, domum tutam, exerci-
tus fortes, senatum fidelem, populum probum, Religionem
incorruptam, omnem salutem, felicitatesq; omnes, & quæ-
cunq; Principum vota & exoptata sunt.

Nunc ad Illustrissimum & Celsissimum Principem ac
Dominum, Dominum AVGVSTVM, Saxoniae, Juliae, Cli-
viae, Montium Ducem, Postulatum Administratorem Archi-
episcopatus Magdeburgensis Reverendissimum, velut ad-
portum mea tandem pergit Oratio. Ast eloqvar, an fileam?
De Religione & pietate AVGVSTI, nemo opinor, dubita-
vit unquam, cui modo perspectum sit, quam præclara utri-
usq; documenta ediderit. Nostis Auditores, quam verè,
& sincere de Religione Lutherana senserit semper. Nostis,
quantum à Papismo, Calvinismo, aliisque erroribus abhor-
ruerit semper. Nostis quantâ pietate ac devotione sacris
participarit semper. Cum Reverendissima Celsitudo nuper
Administrationem, & subditos usitato Homagii juramento
in fidem & clientelam felicibus planè auspiciis receperat,
quanta contentione spiritus, vota, precesq; ad DEUM in tem-
plo hoc, non tam pro suâ, quam Ecclesiae ac patriæ salute fu-
derit; magno ardore Theologica tractat, magnoperè sa-
cris colloquiis delectatur. De fervore Ipsius Reverendis-
simæ Serenitatis, pietatis & Religionis testantur illi, qui Ipsi
à latere, & Consiliis semper sunt: Hoc certè extra omnem
dubitationis aleam est positum, nihil Ipsius Reverendis-
simam Celsitudinem in votis, optatisq; habere magis, quam
ut pura Religio in Templis, pietas in Scholis, justitia in Fo-
ro, publica deniq; honestas, & pax aurea domi forisq; vige-
ret, flo-

*Gubernation. E-
lectoralem susci-
pit 1656. d. 9. O-
ctobr. Fit Rom.
Imperii Vicarius
1657. Homagium
à Subditis acci-
pit 1657.*

AUGUSTUS

*Dux Sax. natus
Dresda ann. 1614
d. 13. Aug. Patre
Electore & Duce
Saxon. Johanne
Georgio Magno,
Matre Magda-
lena Sibylla, He-
roicâ inclytâ Al-
berti Friderici
Elect. Bran-
denburg. Filia.
Fit primùm Ar-
chi-Episcopus
Magdeburgensis
1638. Homagium
à subditis in
Thuringia acci-
pit Leucopet. 7.
Julii, Salisf. 12.
Julii, Weisensf.
14. Julii, San-
gerhus. 16. Julii,
1657. magno cum
applausu omni-
um.*

ret, floreret, aufereret. *Ægerrimè Reverendissima Cel-*
situdo fert, quando intellexit, sacro sanctum illud Religio-
nis depositum, vel negligentius tractari, vel petulantius cor-
rumpi. Omnes Reges, Principesq; , inquit Orator, bis in
terris vivunt, semel cum hoc corpore caduco, fluxo; semel
in memoria, fama; hominum, quæ vita, cum hoc orbe, &
omni ævo terminatur. Si hoc verum, AVGVSTE certè im-
mortalis eris, nullum recurret posthac seculum, quo non
Tuam AVGVSTE pietatem, studium, & industriam, in pro-
paganda Orthodoxa Religione abundè declaratam, dignis
laudibus evehet posteritas. Parens Tuus, cum Religionis
libertatem nobis contulit, nihil majus potuit conferre, nisi
quod TE dedit. O felicem igitur Archi-Episcopatum, cui
per XIX. annos Dux AVGVSTVS præfuit, hi parentem ma-
gis, quàm judicem severum, arbitrum magis, quàm Dicta-
torem, constantem magis juris æqui; disceptatorem, quàm
rigidum exactorem AVGVSTVM amant; Illum subditi su-
am Felicitatem, suam Decus, suam Tutelam vocant, Hujus
aulam non solum pietatis, sed & sobrietatis & frugalitatis
officinam appellant, naturæ enim AVGVSTVS noster ge-
nerositate motus, sobrietati maximè studet, appetituiq; fre-
na licentiùs non laxat, sed in expetendis voluptatibus cor-
poris, rectam rationem sequitur; honestatem & decorum,
à gravitate aulica non alienum, ubiq; observat; Qvalis au-
tem AVGVSTVS ipse est, tales & suos optat. Non de re-
liquis etiam virtutibus, Viro Principe dignis, dicam, in hoc
enim AVGVSTO ea omnia conspirasse videntur, quæ qui-
dem data hominibus sunt, ad laudem, gloriamq; Sagacitate an mi, in
consiliisq; expeditâ celeritate admirabilis. Justitiæ studium, In AU-
GUSTO nostro laudatissimo, nunquam desideratum fuisse, testan-
tur omnes, ita ut, quod olim de Fabricio Romano Pyrrhus Epirota-
rum Rex dixisse fertur, longè veriùs hodiè de nostro AUGUSTO di-
ci queat: Facilius à cursu suo solem revocari, quàm Principem hunc
à Pietate, & Justitia deflecti posse. Plura in hanc rem dicerem, nisi

de

de Eminentia, Amplitudine, Dignitateq; Pii Magistratus, CHRISTO,
ORTHODOXÆQUE Religioni addicto sufficienter dixisse scirem.
O beatam igitur Saxoniam, ô ter & amplius beatam, felicemq; ! O-
ptimi quiq; scriptores Saxoniam hoc nomine beatam prædicarunt.
In mundo summoperè laudantur & amantur opes, rerumq; omnium
divitiæ; Sed quid sunt sine verbo DEI salutifero? quam inania & lu-
diera, quibus miserum genus humanum, delusum saginatur sicut por-
cus, & ad extremum fit ferculum Diaboli exoptatissimum. Et contra-
rio Ecclesiâ sonante, doctrinâ verâ de DEO & Filio ejus JESU CHRISTO
florente, quid sanctius? quid præstantius? quid utilius? Hæc prima-
ria causa conservans Regnorum & Imperiorum, vel ut Plato loqui-
tur, totius Reipubl. fundamentum, quo sublato, simul tollitur fides,
societas generis humani, excellentissima virtus justitia, & tandem o-
mnis omninò tam corporis, quam animæ felicitas.

Tempus jam monet, ut vela Orationis contraham, quam pio
VOTO pro nostro AUGUSTO fineam. Optamus autem, ut tam
constans semper maneat AUGUSTE, quam semper Optimus fuisti.
Similem non alium optamus, nec exemplum aliis, vel TIBI aliud
quam TUUM. Precamur, ut, quemadmodum cœpisti, DEO consul-
tore, & Præside, perficias, quæ penè perfecisti. Tuum est AUGUSTE,
quod Thuringia gaudio liquefit. Tuum est AUGUSTE, quod nos
triumphamus. AUGUSTE pie, felix, Religionis veræ vindex inde-
fesse, DEUS TE conserveat, AUGUSTE Iplendor Principum, DEUS
TE conserveat! AUGUSTE, Provinciarum harum Princeps ac Do-
mominus, DEUS TE conserveat! Rex regnantium, & Dominus Do-
minantium, AUGUSTE, TE conserveat! AUGUSTE, Dux & Regina
omnium virtutum, DEUS TE conserveat! AUGUSTE, Pater Luthe-
ranorum, imò Lutheranae Religionis clypeus, sospitator, DEUS TE
conserveat! Divina Bonitas, ô Piissime AUGUSTE, TE conserveat!
In salutem Patriæ, commodumq; totius Reipubl. DEUS TE conserveat!
Te DEUS Opt. Max. humilimè & obnixè precor, precanturq; omnes
boni mecum, ut nostrum Principem conserves, ei adsis adjutor in o-
portunitatibus, exaudias in tribulatione, mittas auxilium de Sancto,
tribuas illi secundum cor ejus, omne consilium ejus confirmes, & ad-
impleas omnes petitiones ejus. O DEUS, da ut sub AUGUSTO no-
stro floreat tua Ecclesia! Serva tuum verbum Domine, mane nobis-
cum, quia advesperascit, serva hac depravata mundi senectâ veritatem
Religionis. Vivat, vivat AUGUSTUS noster! Vivat, & cum Illu-
strissima

4304
strissima Stirpe vigeat! Sit Ipsi vita & felicitas! & quod maximum
est votorum, æternam AUGUSTO salutem ex intimo pectoris devo-
tissimi penetranti comprecor,

HOC PRECOR, HOC VOTUM, SIT MANEATQUE MEUM.

D I X I.

Litteræ patentēs, ad Dominos Pastores & Diaconos transmissæ, quibus ad Synodum convocati.

Successus saluberrimos!

Reverendi, & Doctissimi Domini Pastores & Diaconi, Amici honorandi, & in Christo fratres pl. dilecti: Synodum iterum Vobis indico, causa autem quæ me ad habendam excitavit, non est privata utilitas, vel arrogantia, sed ut gloria DEI illustraretur, nonnullis mediocriter doctis consuleretur, concordia inter nos conservaretur, ac denique Vobis meam benevolentiam, ac studium significem; Ob quam à presentium exhibitorum Disputationem secundam de Scriptura Sacra accipietis. Cum enim in præcedentæ Synodo fundamenta nostra de hac materia perstravimus, & Apostolus in Theologo, & animarum Pastore requirit, ut non modo sit *ἰκανὸς τῆς διδασκείας*, verum etiam ut sit *δύναμις πρὸς τὸ ἐλέγχειν τὰς ἀντιλήψεις*, quod fieri non potest, nisi eorum *ἀντιλογία* ἢ *ἡ διδασκαλία* præcognoscat, & ad hanc *πρὸς ἑαυτὸν* multum juvant Disputatoria exercitia, quæ juxta Scalig. Cribrum veritatis sunt, recto ordine jam sequitur, ut videamus, quinam illi, qui huic assertioni, & infallibili veritati sese opponunt. Sunt autem cum quibus nobis in hac materia digladiandum, hoc tempore præcipuè Papistæ, quorum Protagonista Cardin. Rob. Bellarminus. Illum ordinem observabimus, ut quidam primò ex confratribus sorte lectus, Concionem Synodalem, quam reliqui attentè audiant ex I. Petr. III. Estote parati semper ad satisfactionem (*πρὸς ἀπολογία*) omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe. habeat, quo probe jactò fundamento, meum erit, de Principe Orthodoxo Orationem proferre; hiscè peractis è templo abducam vos ad Colloquium amicum, & *συζήτησιν* placidam; Ut itaque ad d. XXI. Octob. hor. VI. matutina frequentes conveniatis, Vos universos & singulos amanter, & diligenter invito, & convoco, rogoque simul, ut tempore præfinito maturè confluat. Hoc testatum facite, quo affectu erga studia Theologica sitis animati; quilibet quoque videat, ut paratè ad dicendum veniat, ne se turpiter det, vel Auditorum ludibrio exponat, quantum in me erit, faciam, ut si non doctiores, tamen commendatiores domum redeatis. Valete in Domino. Datum Weisens. ad d. 8. Octobr. 1657.

Vester in Christo

Henricus Krause / Theol. Licent. P. & Super.

A. 62, 8.

De Amplitudine

PII PRIN

MAGISTRAT
THODOX

Hab
Cum VOTO pio, pro
lustrisimi, & Ce

DN. A

Postulati Administrato
Magdeburgens. Du
harum ter


In Conventu Pastoru
WEISSEN

Accesit Electorum
bro

HEINRICO Kra
Pastor

Die XXI. Oct

Typis Fric



Xa
4304

ET

OR-

mi, ll-

opatus

riam

CO,

